



~~Vj lat. ir. Qu.~~
~~4.~~



Vj lat. ir. Qu.

34.



48
48

POEMATION
DE
SECUNDA LEGIONE
VALACHICA
SUB
CAROLO
BARONE
ENZENBERGIO



CIBINII TRANSYLVANIÆ

Excudebat Samuel Sárdi. Annó MDCCLXVIII.

AD AUCTOREM!

Sustine pauca loqui *Vates* de nomine *Magne*!
 Seu quia magni fis, seu quia magna facis?
 Seu *Comes* es *Tannoli*, aut es *Cosmellius* una
 Grammate converso, fallor utroque nihil.
 Hæc sunt *Antoni*! clarorum facta Virorum,
 Ut suus occulto Nomine splendor eat.
 Tu facis, ut referant totum decus omne per orbem
 Samusidæ, illustres Martis honore Viri.
 Hoc quoque jure *Tibi* datur, ut *Te Auctore* Benigna
 Hoc cæpit melius nosse *Theresa* Genus.
 Felices, quibus hos liceat retinere favores,
 Et curis, *Princeps Magna*, subesse Tuis!
 Ergo quoad Sacri floreant culmina Pindi,
 Romulidæque feres Rodna superba tuos!
 Semper honos operi, *Vati* quoque debitus una
 Nomine jam gemino nobilitatus erit.
 Quid moror? æternum monumentum profert honoris,
 Quod cerni à tota Posteritate queat.
 Hinc *Mars*, hinc *Vates* saxo visatur in illo
 Sculptus, cuique Sago par Toga semper erat.

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

Canebat
Zacarias de Nenei.

Lectori Benevolo

SAMUEL SARDI Typographus Cibiniensis

S. P. D.

Opusculum isthoc Poëmation aliàs inscriptum nuperrimè quidem propriis impensis *Auctoris* cætera *Viri* togâ, Sagôque Illustrissimi *Comitis Sylvii Tannoli S. C. R. A. M.* Legionis secundæ Valachicæ Pedestris Ordinis *Centurionis* in centum solum Exemplaribus luci datum, nunc autem in gratiam nonnullorum elegantia, & eruditione Opusculi allectorum, hâcque de ratione deficientem priorum numerum suppleri impensè flagitantium, annuentiâ *Auctoris*, secundis Typis, & sumptibus duntaxat meis in pluribus recusum Tibi *Lector Benevole!* legendum sisto. Sive enim leporem fati Opusculi, aut *Materiæ* substratum, sive demùm Statum, dignitatemque *Auctoris* spectes, habes profectò, quod mireris, aut, cum mavis, imiteris. Si *svavitatem* cum gravitate, acumen cum *venustate*, artémque Poëticam suspicias, nîl falleris, si *Priscis Musarum* Cultoribus præcipuis æquipares. Defixus verò in obtutu planè hærebis, quod idem *Auctor* Apollinem, qui rarè admodum Marti, ejusdemque *Alumnis* se jungere sèveit, adeò familiarem sibi reddere sciverit, & certè reddiderit: Tantò quidem id *luculentius* est, quod nostris in *Laribus*, Nobis *Testibus*, nullis prætereà ad manum habitis *Vatum* adminiculis, datâ quasi nullâ operâ, aut


indu-

industriâ, cuncta, potissimum autem de Ponte Ilvensi, quæ sub-
nectuntur, novissimè facta Pentametra è calamo, ut dicitur, ex-
temporaneo mira cum facilitate profluxerunt. Ut adeò plura vel
in Testimonium veri Encomii, aut peculiare Monumentum huc
adferre supervacaneum foret; posteaquam aliorum solummodò de
hoc Opusculo factas sententias Laudis, & totidem ferè Laureas
ab Eruditioribus, nominanter verò Celeberrimo *Abbate Metastasio*
Italo, & Eruditissimo *Comite Joanne Lázár Transylvano*, prælaudato
Auctori jure merito delatas hòc locò tantisper memorâsse placuerat.
Lege proindè pari cum Doctioribus animò, ac oblectamentò illustra
isthæc, atque ab æstimatissimis vetustorum Vatum reliquiis haud
abludentia cum prælaudato *Auctore* suo æternum Colossum me-
ritura Monumenta, semel ac iterum revolve, & ampliora ad eden-
dos reliquos in abdito paratè jam latentes eòdem ingeniò partos
nobilissimos fructus intensa vota sustine, aut, si potes, *Auctoris*
modestiam ad illustrandum, fatigandumque prælum nostrum quâ-
cunque argumenti vî expugna. Vale. Dabam Cibinii Transyl.
vaniae Calend. Augusti. Annò MDCCLXVIII.



UNdique præruptis, quâ Dacia vergit ad Arcton,
Rupibus, & nigris adoperti culmina silvis
Aërium attollunt longo caput ordine montes,
Æmula quos inter, velut insuperabile vallum,
Imperia, & metam prudens natura locavit.
Arboreas hic nulla comas violare bipennis,
Nullaque mortalis vestigia figere gressus
Ausit adhuc: pedibus tantùm loca trita ferarum.
Defilit ingenti summâ de caute fragore,
Spumantesque imâ secum sub valle volutat
Rivus aquas tenuis nondùm formatus in amnem,
Samusium appellant. It pauper, saxaque lambens
Exiguos latices cupidô passim aggerat alveô.

Ast,



Ast, ubi præcipites saltus, & inhospita linquens
Lustra, metalliferas Radnæ decurrit ad oras,
Jam robur capit usque novum, cornúque minaci
Torvus, & indomitis fertur rapidissimus undis.
Quis mala, quis clades, aut exitialia damna
Agrorum, pecorúmque, atque insperata domorum
Excidia, ac luctus, demersáque corpora narret,
Cùm sua montanis turgescunt Littora nimbis ?
Aggeribus tunc nulla fides; immanis aquarum
Illuvies, medióque rotantia gurgite faxa,
Avulsæque alto montis de vertice quercus
Cuncta trahūt secum, & campos populantur apertos.
Arcta quater fenos, Radnæ de nomine dicta
Vallis alit pagos, quos magnâ parte, furenti
Samusius præter sinuosus labitur undâ,


Ast



Ast reliquos Clivi curvis anfractibus abdunt.
Nec Cereri grata est Regio, nec amica Lyæo;
Non equiti opportuna fatis, minùs apta quadrigis:
Injucunda oculis, scatebrisque referta dolosis:
Montibus indè altis, hinc sævo occlusus ab amne,
Ullo qui nunquam passus se ponte domari,
Sapè modò caret infelix alimenta parandì
Incola, &, hostili velut obsidione, tenetur.

Has igitur priscâ geniti de stirpe Quiritùm
Romulidæ terras habitant. Heu, quanta Nepotum
Disparitas! quàm vilescit venerabile nomen!
Namque in maturam Imperio vergente ruinam
Ingens Prædonum Scythicis hùc appulit oris
Agmen, & adversæ demùm discrimine fortis
Romani servile jugum subiêre Coloni.

Oppr-



Opprimit hos Victor, cogitque ad vilia quæque;
Jámque greges Scythicos Romanus pastor agebat,
Hunnicáque Aufonii ducebant plaustra bubulci,
Longáque cum lingua vitiârunt tempora mores.
Ast fractæ, fatis tandem ad meliora reversis,
Incipiunt vires hominum revalescere, & ingens
Spes rutilat, rerúmque novus modò nascitur ordo.
Jámque dies aderat, curâ quô providâ Adulphi (a)
Fæcundata, unô ter binas Dacia mater
Enixa est partu proles; informia primùm,
Nullóque inter se connexa ligamine membra,
Artificis sed enim virtute, atque arte magistrâ
Egregii, in pulchram mox instaurata figuram.
Nam quotquot fuerant (dictu mirabile!) massæ

Ante

(a) Adolphus Baro à Buccow.



Antè rudes, totidem armatas retulêre Phalanges,
Finitimò Matrem quæ tutarentur ab hoste.

Sic, ubi deformes ullâ sine imagine fœtus
Edidit, hos multo lingvæ solet urfâ labore
In naturales effingere sedula vultus.


Ergò immortales ævum ut reddantur in omne,
Inventæ Altrices teneris Legionibus aptæ,
Trésque fatæ Hunnorum claro de sangvine Genti,
Romulidum tres sorte datæ, quarum Altera ripis
Infita Samusii miro jam robore crescit.

Pandite nunc Heliconæ Deæ! vestróque faventes
Magnarum Vati causas ostendite rerum:
Desidiam ut veterem exuerint, moresque feroces
Samusidæ; ut facies mutata sit ipsâ locorum,
Utque Ceres diro regnet benè juncta Gradivo,




Quartus inexpletis cum vix eat orbibus annus.
Tantane folerti concessa potentia dextræ?
Principiô novitate rei, & fulgore corusco
Armorum perculsi animi expavêre, nec ultrà
Spem superesse rati, & vanâ formidine cæci
Tristia degeneres agitabant mente Quirites.
Arva inculta jacent, lætissima prata putrescunt;
Nec pecori accedit pastor, nec messor aristis,
Nullâque fit clausis de more frequentia Templis.
Quin etiam insanâ jam seditione frementes
Arma invisa manu, exosique insignia Martis
Projiciunt, pedibûsque terunt, torvóque minantur
Intuitu; at quorum major dementia menti,
Armentis, Natisque, ac quod fuga nocte silenti
Maturata finit, nemoroso in monte receptis,

Odri



Odryfii fubeunt contermina Regna Tiranni.
Quò ruitis, miseri? quas, stulti, quæritis, aut quas,
Multò passuri graviora, relinquitis ædes?
Arma lucrum, non damna ferunt: ne munera fortis
Temnite, propensis neu vos opponite fatis.
Sed veluti nimiô cum febris aduritur æstu,
Atque ignem totâ jam mente recepit edacem,
Delirans furit ægrotus, medicamq̃ repellit
Indocilis dextram, & tantùm nocitura requirit:
Haud aliter stimulis furialis Erinnyos acti
Samusidæ in præceps, & deteriora trahuntur
Consilia. His promptam, plebis miserata cadentis,
Ærumnis Regalis opem THERESIA misit,
Et CAROLUM afflictis jussit succurrere rebus.
Olli delatus celeres honor addidit alas;




Haud mora, jussa facit, patriasque Tyrolidis oras
Deferit, impavidusque capit Legionis habenas.

CAROLUS, exacto belli feralis agone,
Hoc peperit sibi jure decus; namque abdita primum
Summorum decreta Ducum, & molimina magna
Solers jussorum factor, fidusque minister
Adjutrice manu studuit protendere; at auctus
Nobiliore gradu, alipedem nactusque cohortem,
Quæ vigil hostiles exploret cominus ausus,
Prævalidum ingenium, virtutisque omnia rara
Prodidit; hinc Procerum, atque Ducum studio-
sa voluntas,

Hinc honor, hinc veteris condebita præmia facti.

Ilicet est CAROLI prima, atque potissima cura
Militiæ vigili scrutari mente Magistros,

Et




Et quid quisque queat, quis sit cuiusque gerendi,
Censendique modus, prudenti pendere lance.
Utque hominum non unus amor, non finis & unus,
Cautior inque malum ruit hic, violentior ille,
Sic statuit quaque appositos statione Ministros,
Qui placidò nutans firment solamine vulgus,
Utilia inducant, atque officientia pellant.
Hæc fermè admonitu repetit præcepta diurnò ;
Hunc docet, hunc acuit, ciet hunc, hunc corripit, atq;
Multiplici metam sic tramite tendit ad unam.
Obstupuère, novas mirantes undique formas,
Romulidæ, atque ingens animo fiducia crevit.
Jámque situ, & scabrâ rofus rubigine vomer
Crebrior invertit terram, & splendescit ab usu,
Multiplicatque pecus studiò meliore resectum.




Mox ignotus adhuc quæstûs amor, atque laboris
Vividus affurgit, stimulisque potentibus urgens
Torporem fugat ingenitum, atque in fœnore gaudet.
Pauperie hinc durâ, hinc turpi terrore soluti
Connubiis Juvenes indulgent, armâque nuper
Matribus, innuptis, & detestata puellis,
Haud, hilari tractare manu, nova nupta recusat,
Pulcrior & sponsus castrensi in veste videtur.
Quin & militiæ capti genialis amore
Conveniunt pueri, & fictis lætantur in armis,
Blæsâque non patriæ mutilantes verba loquela,
Imbelli studia exercent Mavortia dextrâ,
Densique incedunt, & ludicra prælia miscent;
At Juvenes, quorum vegetæ stant corpore vires,
Veracis gaudent leges cognoscere Martis,

At-




Atque operi incumbunt, artésque imitantur Avorum.
Bissenis etenim Legio distincta catervis,
Quarum quæque tribus, de more docenda, Magistris
Tradita, solerti vigilis virtute Tribuni,
Militis omnigeno veteris jam munere præstat.
Pulchra videri oculis, triplici cum se ordine sistens
Latè Acies campos operit numerosa patentes.
Tunc ferrugineus, niveusque refulget amictus,
Quem rubeum frustatim interfecat ornamentum,
Plumeaque Hungaricò candescit crista galerò;
Atque repercussò, lædentem lumina lucem
Ignivomi dant sole tubi; latus ense recurvo
Cingitur, immotò erecti stant pectore vultus.
Nec mora: se partes convertens miles in omnes,
Multiplices doctà discriminat impiger usus

Armo-




Armorum dextrâ, simulati exordia belli.
At cupiens hostem propiore laceffere pugnâ,
Agglomerat se se, densûmque coarctat in agmen,
Tristiâque alternis minitatur damna manipulis.
Vox tonat irritans: en præpete dextera nisu
Arripiens ante ora tubum, parat ignibus amplam
Mortiferis aperire viam, mox ocyor Eurô
Inclinans, subitas sulphur fatale favillas
Concipit, horrifonô cælum boat omne fragore.
Ast ubi non dubiis patuit victoria signis,
Hostilésque fugæ jam terga dedêre cohortes,
Extemplò victrix lentô titubantia passu
Agmina persequitur Legio, alternisque manipuli
Profiliunt vicibus, probrosâque vulnera mittunt.
Si tamen hostiles, adversi crimine Martis,

Aspe-



Aspectus vitare juvet, vestigia retrò
Improperata refert, faciémque animosa retorquens
Fulminat, & pœnas ingenti fœnore sumit.

Talia venturæ fictâ sub imagine laudi
Fundamenta locat Soboles rediviva Quirini,
Et studiô egregiis præludit præcoce factis.
His tamen haud CAROLI virtus operosa quiescit,
Romuleisq; Numæ pacata laboribus addit
Officia, & facinus mens perficit una duorum.
Montibus in patriis genitus, nemorùmque perennis
Indigena, atque hominum cætu propè dissitus omni
Accola Samusii, nativam fronte gerebat
Barbariem, & vili, informique obtectus amictu
Corpore fordebat toto, latèque tegebant
Impexi faciem crines, obscœnâque menti




Canities; animi sed enim, morúmque pudenda
Rusticitas, & cunctorum ignorantia rerum
Squallorem longè chlamydem superabat, & oris.
Ingemuit, miserans hominum lacrymabile damnum,
CAROLUS, & validâ parat obvius ire medelâ.
Lenibus hinc monitis, hinc legis jure severæ
Svadet, & assiduus premit, alternâque tenaces
Persequitur pugnâ, tandémque exturbat abusus.
Utque perennet opus, convulsâque stirpitùs atra
Disperat labe, studiis, animisq̃ue juventæ
Formandis, doctæ referantur ubique palæstræ,
Quèis polluta nimis, ferméque oblita Deorum
Religio in priscum assurgat renovata vigorem.
Sed nec litigii neglecta est cura forensis,
Extorrisque diù populos Astræa revisit;

Nam




Nam Procerum veneranda manus, dilecta Minervæ,
Consilioque potens, dicundo sedula Juri
Affidet, & rectâ pendens oracula lance
Debilium attollit vires, reprimítque potentûm.
At CAROLUS totis munus Cereale lacertis
Urget, & ignaro tradit præcepta Colono,
Et, quæ cura Boûm, quis sit gregis, indicat, usus;
Quô fata læta modô spicis onerentur opimis,
Ignotâsque docet fulcis committere fruges.

Non, mihi si lingvæ triplices, totidémq; canenti
Ora forent, tenui complecti carmine possem,
Quot rudibus præbet documenta, aut comoda gignit
Romulidis, aut quas in lucrum excogitet artes.
Quid referam, omnigenas Fora proponentia merces,
Septimus immodicô revehit quæ fœnore Titan?




Aut celeri fegetem frangentes orbe Molares,
Samufidis pariter, paritèrque opus utile Regi?
Matris Eleusinæ, quid, magnô condita sumptu
Tecta canam? ingrati quibus inclementia Bacchi
Pensatur, quémque ille negat præstare liquorem,
Usta redundanti feget ubertate rependit.
Non ego constructas passim Primoribus ædes,
Publica nec memorem peregrinæ accommoda genti
Hospitia, aut medios refecantia compita campos,
Ordine dispositis quæ utrínque repagula vallis
Stipant, átque pecus teneris à frugibus arcent.
Viderat abjegnīs montana cacumina silvis
Affluere, intactásque situ marcescere pinus
CAROLUS, átque novos actutum affurgit in ausus
Ignotam referare viam, exploratáque nulli

Texti-




Textilibus tentare struit vada cæca carinis
Samusii, & populi, Regisque extendere censum.
Ardua martigenæ cædunt pineta secures,
Structurâsque domos, miles jam navita factus,
Robustâ compage trabes contexit, & alas
Remorum apponit. Stupefactæ Najades audax
Admirantur opus; stupet amnis & ipse, parâtque
Præscius insvetæ dare libera colla catenæ.
Provehitur ripis patrio sale classis onusta,
Atque profanatus frendet sub pondere gurgis.
Ipse regit cursum CAROLUS, lætôque paventes
Affatu socios animat, nec spumeus illum
Vortex, aut crebra occurrens catadupa moratur;
Sed montosa retrò linquens confinia Dacûm,
Littorâque ingrediens placidi piscosa Tibisci,




Pannonicis nova demonstrat commercia Regnis,
Et meritam à domito famam nanciscitur amne.

At plenô ut scateat præstans victoria fructu,
Neu mage Romulidis aliquâ sit parte timendum,
Undique prævalidis vefanas comprimit undas
Samusii aggeribus, vires adimítque nocendi.
Nec fatis: immensô nequicquam sæpè labore
Orsum aliis molitur opus, tutúmque recludit
Radnensi firmis accessum pontibus oræ.
Heu, quæ non hyemis superata obstacula diræ!
Quæ non finitimæ planè obluçtantia gentis
Consilia, aut longæ tulerunt fastidia curæ!
Propositi tamen ille tenax haud cessat, & omnis
Expers auxilii, solus molimina tanta
Aggreditur, solique in opus commune vocati

Samu-



Samufidæ, folique fatis. Millena videres
Robora, procerasque ornos, pinosque virentes
Undique reptilibus per devia compita plaustris,
Callem aptum nive dante, vehi; centena vicissim
Artificum infudant industria brachia; fervet
Interea multos labor haud casurus in annos.
Substernenda dolant pars ligna, ingentia quercus
Robora pars acuunt, & ferrum cuspide firmant.
Ast alii horrendam, atque immani pondere molem
Sublimi intextam malo, centumque revinctam
Restibus, adnixa certant attollere in altum.
Verum, ubi supremum feralis machina culmen
Attigit, extemplo funes laxantur, at ille
Pondere abacta suo, magnò ruit impete, & ictu
Subjectum horrifonò terræ sub viscera robur




Impellit, stabillisque locat fundamina pontis.
CAROLUS indefessus adest, & singula curat.
Non illum gelidæve nivës, frigidisque perurens
Terrent, sivè novi remorantur gaudia amoris;
Sed SPONSÆ illecebris sese subducit amantis,
Cui vultum, atque animum insigni natura decore
Exornat, laudum minimum est sed forma suarum.
Discite, Marticolæ! virtutem, & munere fungi.

Hæc facies rerum, status hic, tum gloria præfens
Romulidum, plebisque, diu, incrementa jacentis.

Dignare aspectu, JOSEPH (b) generose, serenò,
Præfidióque fove crescentes Martis alumnos.
Et decet, & fas est; illi tibi quippè fatentur
Fortunam debere suam, manuúmque tuarum

Sese

(b) Excell. Baro à SISKOVICS Supremus rei Tormentariæ
Præfectus.



Sese opus agnoscunt, & honoris diceris author.
Prætereà ingentem connubia nupera causam
Adjiciunt, spectare **TUOS** in imagine vultus
Dum datur, & **NEPTIS** ditati pignore gaudent.
Atsi sædifragus quandòque irrupere fines
Audeat Austriacos Hostis, **TE** prima Magistrò,
Promere bellacis discant monimenta vigoris,
Caráque Moravo, sed formidata Boruffo
Dextera, monstret iter, veteres quod ière Parentes.
Forfitan hæc multos arbor despecta per annos,
Quæ manibus translata **TUIS** virtutis in horto
Vivida jam surgit, **CAROLI** sudore rigata,
Dignos parturiet fructus; radice sub imâ
Vis patria occultatur adhuc, & nobile semen.



AD SAMUSIUM
DE PONTE ILVENSIS

CAROLI BARONIS ENZENBERGII

Fusu constructo.

CArpathicis exorte Jugis, furibunde Samusi!
Donec pauca loquar, siste parumper aquas.
Ante tuus nullâ potuit furor arte domari;
Subjicis inveto fed modò colla jugo.
Quisque tuô nuper conspectu territus hæsit,
Prosequitur lætâ fronte Viator iter.
Quis tamen hæc ausit? tetram qui scilicet istis
Littoribus formam depulit, Ille fuit.
Ille fuit, mores per quem mutare feroces
Romulidas, & Avos cernis adire suos.
Ille tuo primus naves imponere dorso,
Atque novas docuit Quæstibus esse vias.
Hinc,



Hinc, hucúsque tuos cùm inglorius egeris annos,

Jam latè resonat nomen in orbe tuum.

Oh! quàm felici gaudes modò forte Samusi!

Quàm tuus exiguo tempore crevit honos!

Intereà tali frueris si victus honore,

Victoris quantò Gloria major erit!

EXCELLENTISSIMO COMITI

A N D R E A E A B H A D I K,

SUPREMO PER TRANSTLVANIAM ARMO-


RUM PRAEFECTO &c. SECUNDAM LEGIONEM

VALACHICAM PRIMUM PERLUSTRANTI

MILITES EJUSDEM LEGIONIS.

HAnc nisi victrici Portam, *Vir maxime*, Laurô,

Sed tantùm agresti surgere fronde vides.



Parce, triumphales, Atavorum insignia, rami
(Proh pudor!) in viles transficere vepres.
Non tamen immemores penitus virtutis Avitæ
Nos piget antiquas rursus adire vias.
Haud melior fuerat primorum forma Quiritum,
Cum patriâ instruxit Romulus arte Viros.
Oh *Tu!* qui totô jam num celeberrimus orbe,
Vix, *Tua* quò major Gloria crescat, habes:
Nementem contemne bonam; Nos Castra sequemur
Si *Tua*, jam Nobis Romulus alter eris.

Canebat

COMES SILVIUS TANNOLI.

POEMATION
DE
SECUNDA LEGIONE
VALACHICA
SUB
CAROLO BARONE
ENZENBERGIÆ.

POEMATION

DE

SECUNDA REGIONE

YALACHTICA

SUB

CAROLO BARONE

FRANCKENBERGIA



UNdique præruptis, qua Dacia vergit ad Arcton
Rupibus, & nigris adaperto culmine sylvis,
Aëreum attollunt longo caput, ordine montes,
Æmula, quos inter, velut inseparabile vallum,
Imperium, & metam prudens natura locavit.
Desilit ingenti summa de caute fragore,
Spumantesque ima secum sub valle volutat
Rivus aquas tenuis, nondum formatus in amnem,
Samusium appellant. It pauper, saxaque lambens,
Exiguos latices cupido passim aggerat alveo,
Ast ubi præcipites saltus, & inhospita linquens
Lustra, metalliferas Radnæ decurrit ad oras,
Jam robur capit usque novum, cornuque minaci,
Torvus, & indomitis fertur rapidissimus undis.
Quis mala? quis clades? aut exitialia damna
Agrorum, pecorumque, atque insperata domorum
Excidia, ac luctus, demersaque corpora narret,
Cum sua montanis turgescunt littora nimbis?
Aggeribus tunc nulla fides, immanis aquarum
Illuvies, medioque rotantia gurgite saxa,
Avulsæque alto montis de vertice quercus,
Cuncta trahunt secum, & campos populantur apertos.

Arcta quater senos Radnae de nomine dicta
 Vallis, alit pagos, quos magna parte furenti,
 Samusius praeter sinuosus labitur unda,
 Ast reliquos clivi curvis anfractibus abduunt.
 Nec Cereri grata est regio, nec amica Lyæo.
 Non Equiti oportuna fatis, minus apta quadrigis,
 Injucunda oculis, scatebrisque referta dolosis.
 Montibus inde altis, hinc saevo oclusus ab amne,
 Ullo qui nunquam passus se ponte domari,
 Saepe modo caret infelix alimenta parandi
 Incola, & hostili velut obsidione tenetur.

Has igitur prisca genti de stirpe Quiritum
 Romulidae terras habitant. Heu! quanta nepotum
 Disparitas! quam vilescit venerabile nomen!
 Namque in maturam imperio vergente ruinam!
 Ingens praedonum schyiticis huc appulit oris
 Agmen, & adversae demum discrimine fortis,
 Romani servile jugum subiére coloni.
 Opprimit hos Victor, cogitque ad vilia quaeque,
 Jamque greges schyiticos Romanus pastor agebat,
 Hunnicaque Aufonii ducebant plaustra bubulci,
 Longaque cum lingua viciârunt tempora mores.
 Ast fractae, fatis tandem ad meliora reversis,
 Incipiunt vires hominum revalescere, & ingens
 Spes rutilat, rerumque novus modo nascitur ordo.
 Jamque dies aderat, curâ quò provida Adolphi (a)
 Faecundata, uno ter binas Dacia mater
 Enixa est partu proles: informia primum,
 Nulloque inter se connexa ligamine membra,
 Artificis sed enim virtute, atque arte magistra
 Egregii, in pulchram mox instaurata figuram;
 Nam quot quot fuerant (dictu mirabile) massae

Ante

(a) Adolphus Baro Buccov.

Ante rudes, totidem armatas retulere Phalanges,
 Finitimo matrem quæ tutarentur ab hoste
 Sic, ubi deformes ulla sine imagine fatus
 Edidit, hos multo linguæ solet urfa labore
 In naturales effingere sedula vultus,
 Ergo immortales ævum ut reddantur in omne,
 Inventæ Altrices teneris Legionibus aptæ,
 Tresque fatæ Hunnorum claro de sanguine Genti,
 Romulidum tres forte datæ, quarum altera ripis
 Insita samusii miro jam robore crescit.

Pandite nunc Heliconæ Deæ! vestroque faventes
 Magnarum vaci causas ostendite rerum:
 Desidiam ut veterem exuerint, moresque feroces
 Samusidæ? ut facies mutata sit ipsa locorum?
 Utque Ceres diro regnet bene juncta Gradivo?
 Quartus inexpletis cum vix eat orbibus annus.
 Tantane solerti concessa potentia dextræ?
 Principio novitate rei, & fulgore corusco
 Armorum percussî animi expavêre, nec ultra
 Spem superesse rati, & vana formidine cæci,
 Tristitia degeneres agitabant mente Quirites.
 Arva inculca jacent, lætissima prata putrescunt,
 Nec pecori accedit pastor, nec messor aristis,
 Nullaque fit clausis de more frequentia templis;
 Quin etiam insanâ jam seditione frementes,
 Arma invisa manu, exosique insignia Martis
 Projiciunt, pedibusque terunt, torvoque minantur
 Intuitu. At quorum major dementia menti,
 Armentis, Natîsque, ac quod fuga nocte silente
 Maturata finit, nemoroso in monte receptis,
 Odrisii subeunt contermina regna Tyranni.
 Quo ruitis miseri? quas stulti quæritis, aut quas
 Multò passuri graviora, relinquitis ædes?

Arma lucrum, non damna ferunt: ne munera fortis
Temnite, propensis neu vos opponite fatis.
 Sed veluti nimio cum febris aduritur æstu,
 Atque ignem tota jam mente recepit edacem,
 Delirans furit ægrotus, medicamque repellit
 Indocilis dextram, & tantum nocitura requirit:
 Haud aliter stimulis furialis Erinnyos acti
 Samusidæ in præceps, & deteriora trahuntur
 Consilia. His promptam, plebis miserata cadentis,
 Ærumnis Regalis opem Theresia misit,
 Et Carolum afflictis iussit succurrere rebus.
 Olli delatus celeres honor addidit alas.
 Haud mora, iussa facit, patriasque Tyrolidis oras
 Deferit, impavidusque capit Lægionis habenas
 Carolus, exacto belli feralis agone,
 Hoc peperit sibi jure decus, nam abdita primum,
 Summorum Decreta Ducum, & molimina magna,
 Solers jussorum factor, fidusque Minister
 Adjurrice manu studuit protendere; at auctus
 Nobiliore gradu, alipedem nactusque cohortem,
 Quæ vigil hostiles exploret cominus ausus,
 Prævalidum ingenium, virtutisque omnia rara
 Prodidit, hinc Procerum, atque Ducum studiosa voluntas,
 Hinc honor, hinc veteris condebita præmia facti.
 Illicet est Caroli prima, atque potissima cura,
 Militiæ vigili scrutari mense Magistras,
 Et quid quisque queat? quis sit? cujusque gerendi?
 Censendique modus? prudenti pendere lance,
 Utque hominum non unus amor, non finis & unus,
 Cautior inque malum ruit hic, violentior ille,
 Sic statuit quaque appositos statione Ministros,
 Qui placido nutans firment solamine vulgus
 Utilia inducant, atque officientia pellant.

Hæc fermè admonitu repetit præcepta diurno,
 Hunc docet, hunc acuit, ciet hunc, hunc corripit, atque
 Multiplici metam sic tramite tendit ad unam.
 Obstupuère, novas mirantes undique formas,
 Romulidæ, atque ingens ànimo fiducia crevit.
 Jamque situ, & scabra rosus rubigine vomer
 Crebrior invertit terram, & splendet ab usu,
 Multiplicatque pecus studio meliore resectum.
 Mox ignotus adhuc quæstûs amor atque laboris,
 Vividus assurgit, stimulisque potentibus urgens,
 Torporem fugat ingenitum, atque in fænore gaudet:
 Pauperie hinc dura, hinc turpi terrore soluti,
 Connubiis Juvenes indulgent, armaque nuper
 Matribus, innuptis & detestata puellis,
 Haud hilari tractare manu, nova nupta recusat.
 Pulchrior, & sponsus Castrensi in veste videtur.
 Quin, & Militiæ capti genialis amore
 Conveniunt pueri, & fictis lætantur in armis,
 Blæsaque non Patriæ mutilantes verba loquelæ,
 Imbelli studia exercent mavortia dextrâ,
 Densique incedunt, & ludicra prælia miscunt.
 At Juvenes, quorum vegetæ stant corpore vires,
 Veracis gaudent leges cognoscere Martis,
 Atque operi incumbunt, artesque imitantur Avorum,
 Bis senis etenim Legio distincta catervis,
 Quarum quæque tribus de more docenda Magistris,
 Tradita solerti vigilis virtute Tribuni,
 Militis omnigeno veteris jam munere præstat.
 Pulchra videre oculis, triplici cum se ordine sistens,
 Late Acies campos operit numerosa patentes.
 Tunc ferrugineus, niveusque refulget amictus,
 Quem rubeum frustatim interfecat ornamentum,
 Plumeaque hungarico candescit crista galero,

Atque repercusso lædentem lumina lucem
Ignivomi dant sole tubi, latus ense recurvo
Cingitur, immoto erecti stant pectore vultus.
Nec mora: se partes convertens miles in omnes,
Multiplices doctâ discriminat impiger usus,
Quorum jam dextrâ simulati exordia belli,
Et cupiens hostem propiore laceffere pugna,
Reglomerat se se, densumque coarctat in agmen,
Tristiaque alternis minitatur damna manipulis,
Vox tonat irritans: en præpete dextera nisu
Arripiens ante ora tubum, parat ignibus amplam
Mortiferis aperire viam, mox ocyor Eurô
Inclinans subitas sulphur fatale favillas
Concipit, horrifono cœlum boat omne fragore.
Ast ubi non dubiis patuit victoria signis,
Hostilesque fugæ jam terga dedêre cohortes,
Extemplo victrix lentô titubantia passu
Agmina persequitur Legio, alternisque manipuli
Profiliunt vicibus, probrosaque vulnera mittunt.
Si tamen hostiles adversi crimine Martis
Aspectus vitare juvet, vestigia retrò
Improbata refert, faciemque animosa retorquens
fulminat, & pœnas ingenti fœnore sumit.
Talia venturæ ficta sub imagine laudi
Fundamenta locat soboles rediviva Quirini,
Et studio egregiis præludit præcoce factis.
His tamen haud Caroli virtus operosa quiescit;
Romuleisque Numæ paccata laboribus addit
Officia, & facinus mens perficit una duorum.
Montibus in patriis genitus, nemorumque perennis
Indigena, atque hominum cœtu prope dissitus omni,
Accola Samusii nativam fronte gerebat
Barbariem, & vili informique obtectus amictu,

Corpore fordebat toto, lateque tegebant
 Impexi faciem crines, obscænaque menti
 Canities; animi sed enim, morumque pudenda
 Rusticitas, & cunctarum ignorantia rerum,
 Squallorem longe chlamydamque superabat, & oris.
 Ingemuit, miserans hominum lachrymabile damnum
 Carolus, & valida parat obvius ire medelâ.

Lenibus hinc monitis, hinc Legis jure severæ
 Suadet, & assiduis premit, alternaque tenaces
 Persequitur pugnâ, tandemque expugnat abusus.
 Utque perennet opus, convulsaque stirpitis atra
 Dispereat labe, studiis, animisque juventæ
 Formandis, doctæ referantur ubique Palestræ,
 Quêis polluta nimis, fermeque oblita Deorum
 Religio in priscum assurgat revocata vigorem.

Sed nec litigii neglecta est cura forensis
 Extorrisque diu populos Astræa revisit;
 Nam procerum veneranda manus, dilecta Minervæ
 Consilioque potens dicundo sedula Juri
 Assidet, & recta pendens oracula lance,
 Debilium attollit vires, reprimitque potentum.

At Carolus totis munus Cereale lacertis
 Urget, & ignaro tradit præcepta Colono,
 Et, quæ cura boum, quis sit gregis, indicat, usus?
 Quo fata læta modo spicis onerantur opimis,
 Ignotasque docet falci committere fruges.

Non, mihi si linguæ triplices, totidemque canenti
 Ora forent, tenui complecti carmine possem,
 Quot rudibus præbet documenta, aut commoda gignit
 Romulidis, aut quas in lucrum excogitet artes.
 Quid referam omnigenas foro proponentia merces,
 Septimus immodico revehit quæ sænore Titan?
 Aut celeri segetem frangentes orbe Molares,

Samusidis pariter, pariterque opus utile Regi?
 Matris Eleusinae, quid, magno condita sumptu
 Tecta canam? ingrati quibus inclementia Bacchi
 Pensatur, quemque ille negat praestare liquorem,
 Usta redundantis seges ubertate rependit.
 Non ego constructas passim primoribus aedes,
 Publica nec memorem peregrinae accomoda genti.
 Hospitia, aut medios refecantia compita campos
 Ordine dispositis, quae utrinque repagula vallis
 Stipant, atque pecus teneris a frugibus arcent.
 Viderat abjegenis montana cacumina sylvis
 Affluere, intactasque situ marcescere pinus
 Carolus, atque novos actutum assurgit in ausus,
 Ignoram referare viam, explorataque nulli,
 Textilibus tentare struit vada caeca caristis,
 Samusii, & populi, Regisque extendere censum,
 Ardua martigenae cadunt pineta secures,
 Structurasque domos, miles jam navita factus,
 Robusta compage trabes contexit, & alas
 Remorum apponit. Stupefactae Najades audax
 Admirantur opus. Stupet amnis & ipse, paratque
 Praescius inventae dare libera colla catenae,
 Provehitur ripis patrio sale classis onusta,
 Atque profanatus frendet sub pondere gurgis.
 Ipse regit cursum Carolus, laetorque paventes
 Affatu socios animat, nec spumeus illum
 Vortex, aut crebra occurrens cadadupa moratur,
 Sed montosa retro linquens confinia Dacum;
 Littoraque ingrediens placidi piscosa Tibisci,
 Pannonicis nova demonstrat commercia regnis,
 Et meritam a domito famam nanciscitur ampe.

At pleno ut scateat praestans victoria fructu,
 Neu magis Romulidis aliqua sit parte timendum,

Undique prævalidis vesanas comprimit undas
 Samusii aggeribûs, vires adimitque nocendi.
 Nec fatis: immenso nequicquam sæpe labore
 Orsum aliis molitur opus, tutumque recludit
 Radnensi firmis accessum pontibus oræ.
 Heu! quæ non hyemis superata obstacula diræ,
 Quæ non finitimæ plane obluçantia gentis
 Consilia, aut longæ tulerant fastidia curæ!
 Propositi tamen ille tenax haud cessat, & omnis
 Expers auxilii, solus molimina tanta
 Aggreditur, solique in opus commune vocati
 Samusidæ, solique fatis. Millena videres
 Robora, procerasque ornos, pinusque virentes,
 Undique reptilibus per devia compita plaustris,
 Callem aptum nive dante, vehi, centena vicissim
 Artificum insudant industria brachia, fervet
 Interea multos labor haud casurus in annos:
 Substernenda dolant pars ligna, ingentia quercûs
 Robora pars acuunt, & ferrum cuspide firmant.
 Ast alii horrendam, atque immani pondere molem
 sublimi intextam malo, centumque revinctam
 Restibûs, adnixa certant sustollere in altum,
 Verum ubi supremum feralis machina culmen
 Attigit, extemplò funes laxantur, at illa
 Pondere adacta suo, magno ruit impete, & ictu
 Subjectum horrifono, terræ sub viscera robur
 Impellit, stabilisque locat fundamina pontis.
 Carolus indefessus adest, & singula curat,
 Non illum gelidæque nives, frigusque perurens
 Terrent, sive novi remorantur gaudia amoris;
 Sed sponsæ illecebris se se subducit amantis,
 Cui vultum, atque animum insigni natura decore
 Exornat, laudum minimum est; sed forma suarum;

Discite Marticolæ virtutem ; & munere fungi !
 Hæc facies rerum, status hic tum gloria præfens
 Romulidum ; Plebisque diu incrementa jacentis.

Dignare aspectu Joseph (*b*) generose sereno,
 Præsidioque fove crescentes Martis alumnos,
 Et decet, & fas est ; illi tibi quippe fatentur
 Fortunam debere suam, manuumque tuarum
 se se opus agnoscunt, & honoris diceris author.
 Præterea ingentem connubia nupera causam
 Adjiciunt, spectare tuos in imagine vultus
 Dum datur, & neptis ditari pignore gaudent.
 Audeat Austriacos Hostis, Te prima Magistro
 Promere, bellacis discant monimenta vigoris,
 Caraque Moravo, sed Formidata Boruffo
 Dexterâ, monstret iter, veteres quod ière Parentes,
 Forsitan hæc multos arbor despecta per annos,
 Quæ manibus translata tuis virtutis in horto
 Vivida jam surgit, Caroli sudore rigata,
 Amplos parturiet fructus, radice sub una.
 Vis patria occultatur adhuc, & nobile semen.

Canebat
COMES SILVIUS TANNOLI

Anagramma :
Antonius Cosimellius.

